

tam terram, appende cum Christo cœlum et terram: nihil creatum cum Creatore pensatur, nullum opus artificis comparatur. « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil<sup>1</sup>: » et tamen a persequentibus deputatus est nihil. Feramus ergo quod nos Deus ferre voluerit<sup>2</sup>; qui nobis curandis atque sanandis, quis etiam dolor sit utilis, sicut medicus novit. Certe scriptum est: « Patientia opus » perfectum habet<sup>3</sup>. » Quod autem erit opus patientiæ, si nihil adversi patiamur? Cur ergo mala temporalia perpeti recusamus? an forte perfici formidamus? Sed plane oremus et ingemiscamus et ploremus ad Dominum ut servetur erga nos quod Apostolus dicit: « Fidelis Deus, qui » non vos sinet tentari supra id quod potestis, sed faciet » cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possitis<sup>4</sup>. »

<sup>1</sup> Joan. 1, 3. — <sup>2</sup> Beda vulgatus ad 1 Cor. x. — <sup>3</sup> Jacob. 1, 4. — <sup>4</sup> 1 Cor. x, 13.

# S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

## DE HÆRESIBUS

AD QUODVULTDEUM.

### LIBER UNUS .

Quon petis sæpissime atque instantissime, sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata devitare contraria fidei christianæ, et christiani nominis obumbratione fallentia; scias me olim longe antequam peteres, facere cogitasse, atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra vires meas esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi, ut te, instituisse poscendo: in ipsa tam molesta instantia tua etiam tuum nomen attendi, et dixi: Aggrediar et faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle confido, si me ad hujus Operis terminum misericordie favore perduxerit, ut per ministerium linguæ meæ tanta hujus rei difficultas aut ostendatur tantummodo, aut ipso etiam plenius adjuvante tollatur. Quorum duorum, quod priore loco posui, jamdiu est ut animo volvo ac revolve, et quadam meditatione contueor: quod autem postea dixi, non me acce-

<sup>1</sup> Scriptus circiter annum 428. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. xxii, pag. 77 et 78.

pisse confiteor; et utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum quæro, dum pulso, sim fortasse accepturus ignoro: scio me tamen nec petiturum, nec quæsiturum ac pulsaturum quantum sat est, nisi et hunc affectum munere divinæ inspirationis accepero. In hoc igitur Opere, quod te vehementer urgente in Dei voluntate suscepi, cernis me ut id peragam non tam crebrescentibus ad me tuis petitionibus esse cogendum, quam piis ad Deum non solum tuis, verum et aliorum fratrum, quos tibi in hanc rem fideles socios potueris invenire, orationibus adjuvandum. Quod ut fiat, has ipsas primas hujus laboris mei partes, ubi est ista prælocutio, curavi Tuæ Charitati in auxilio Domini accelerare mittendas: ut propter illa quæ restant, noveritis quantum pro me orare debeatis, quicumque nosse potueritis, a me jam fuisse susceptum hoc tam grande negotium, quod a me desideratis impleri.

Petis ergo, (quod tuæ indicant litteræ, quas ad me dedisti, cum primum a me petere ista cœpisti,) ut exponam « Breviter, perstricte atque summatim, ex quo » christiana religio hæreditatis promissæ nomen accepit, » quæ hæreses fuerint, sint; quos errores intulerint, in- » ferant; quid adversus catholicam Ecclesiam senserint, » sentiant, de fide, de Trinitate, de baptismo, de poeni- » tentia, de homine Christo, de Deo Christo, de resur- » rectione, de Novo et Vetere Testamento. » Istas autem inquisitiones tuas in immensum procedere cum videres, putasti cujusdam generalitatis adhibendum esse compendium atque dixisti: « Et omnia omnino, quibus a veri- » tate dissentiunt. » Deinde addidisti: « Quæ etiam bap- » tismum habeant, quæve non habeant; et post quas » baptizet, nec tamen rebaptizet Ecclesia: qualiter sus- » cipiat venientes; et quid singulis lege, auctoritate, » atque ratione respondeat. » Hæc omnia cum quæris

ut exponantur a me, miror luculentum ingenium tuum, tot tantarumque rerum et sitire veritatem, et fastidium jam timendo poscere breviter. Sed vidisti etiam ipse quid hoc loco possem tuæ hujus epistolæ cogitare; et quasi vigilanter occurristi cogitationi meæ, dicens: « Nec » me tantæ Beatitudo Tua credat ineptiæ, ut non inspi- » ciam quantis et quam ingentibus voluminibus opus sit, » ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non ex- » pecto: id enim multipliciter factum esse non dubito. » Et tanquam consilium subjiciens, quomodo possit et ser- vari brevitatis, et veritas pandi, adjungis ea verba quæ paulo ante jam posui, et dicis: « Sed breviter, perstricte » atque summatim opiniones rogo cujuslibet hæresis poni, » et quid contra teneat Ecclesia catholica, quantum ins- » tructioni satis est, subdi. » Ecce iterum mittis in lon- gum: non quia dici ista breviter sive non valent, sive non debent; sed quia tam multa sunt, ut quamlibet bre- viter dicenda multas litteras flagitent: « Tu autem ut ve- » lut quodam, inquis, ex omnibus concepto commoni- » torio, si quis aliquam objectionem aut convictionem » uberius, plenius, ac planius nosse voluerit, ad opu- » lenta et magnifica volumina transmittatur, quibus a » diversis, et præcipue, inquis, a Veneratione Tua in hoc » ipsum constat esse elaboratum. » Quæ cum dicis, unum quasi commonitorium de his omnibus te desiderare signi- ficat: audi ergo unde commonearis quid petas.

Opiniones omnium philosophorum, qui sectas varias condiderunt, usque ad tempora sua, (neque enim plus poterat,) sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit. Nec redarguit aliquem, sed tantum quid sentirent aperuit, ea brevitate sermonis, ut tantum adhiberet elo- quii, quantum rei nec laudandæ, nec vituperandæ, nec affirmandæ aut defendendæ, sed aperiendæ indicandæ-

que sufficeret; cum ferme centum philosophos nominasset: quorum non omnes instituerunt hæreses proprias; quoniam nec illos tacendos putavit, qui suos magistros sine ulla dissensione secuti sunt. Noster vero Epiphanius(4) Cyprius episcopus ab hinc non longe humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens sex libros etiam ipse conscripsit, historica narratione memorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans. Breves sane sunt hi libelli, et si in unum librum redigantur, nec ipse erit nostris vel aliorum quibusdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quid a me brevius postulare vel expectare debeas, non habebis. Sed non ibi hujus mei laboris summa consistit, quod et tibi, vel me demonstrante, vel etiam te præcurrente poterit apparere, cum hoc fecero. Videbis enim in eo quod supradictus Episcopus fecit, quantum desit Operi quod ipse vis fieri; quanto magis quod ego? Tu namque, quamvis breviter, perstricte atque summatim, tamen vis etiam responderi commemoratis hæresibus: quod ille non fecit. Ego vero hoc magis volo facere, si et Deus velit, unde possit omnis hæresis, et quæ nota est, et quæ ignota, vitari; et unde recte possit quæcumque innotuerit, judicari. Non enim omnis error hæresis est: quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit. Quid ergo faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest: quod in processu hujus Operis declarabitur, si Deus rexerit, atque ad id, quod intendo, perduxerit disputationem meam. Quid autem prosit ipsa inquisitio, etiamsi non potuerimus comprehendere quomodo sit definiendus hæreticus, suo loco videndum atque dicendum est: nam si hoc comprehendi

potuerit, quis non videat utilitas quanta sit? Erunt ergo primæ partes Operis hujus de hæresibus, quæ post Christi adventum et ascensum adversus doctrinam ipsius extiterunt, et utcumque nobis innotescere potuerunt. In posterioribus autem partibus, quid faciat hæreticum, disputabimur. Cum ergo Dominus ascendisset in cœlum, hi hæretici exorti sunt.

- I. Simoniani (5).
- II. Menandriani.
- III. Saturniniani.
- IV. Basilidiani.
- V. Nicolaïtæ.
- VI. Gnostici.
- VII. Carpocratiani.
- VIII. Cerinthiani, vel Merinthiani.
- IX. Nazaræi.
- X. Ebionæi.
- XI. Valentiniani.
- XII. Secundiani.
- XIII. Ptolomæi.
- XIV. Marcitæ.
- XV. Colorbasii.
- XVI. Heracleonitæ.
- XVII. Ophitæ.
- XVIII. Caïani.
- XIX. Sethiani.
- XX. Archontici.
- XXI. Cerdoniani.
- XXII. Marcionitæ.
- XXIII. Apellitæ.
- XXIV. Severiani.
- XXV. Tatiani, vel Encratitæ.
- XXVI. Cataphryges.

- XXVII. Pepuziani, alias Quintilliani.  
 XXVIII. Artotyritæ.  
 XXIX. Tessarescædecatitæ.  
 XXX. Alogii.  
 XXXI. Adamiani.  
 XXXII. Elcesæi, et Sampsæi.  
 XXXIII. Theodotiani.  
 XXXIV. Melchisedeciani.  
 XXXV. Bardesanistæ.  
 XXXVI. Noëtiani.  
 XXXVII. Valesii.  
 XXXVIII. Cathari, sive Novatiani.  
 XXXIX. Angelici.  
 XL. Apostolici.  
 XLI. Sabelliani, sive Patripassiani.  
 XLII. Origeniani.  
 XLIII. Alii Origeniani.  
 XLIV. Pauliani.  
 XLV. Photiniani.  
 XLVI. Manichæi.  
 XLVII. Hieracitæ.  
 XLVIII. Meletiani.  
 XLIX. Ariani.  
 L. Vadiani, sive Anthropomorphitæ.  
 LI. Semiariani.  
 LII. Macedoniani.  
 LIII. Aëriani.  
 LIV. Aëtiani, qui et Eunomiani.  
 LV. Apollinaristæ.  
 LVI. Antidicomaritæ.  
 LVII. Massaliani, sive Euchitæ.  
 LVIII. Metangismonitæ.  
 LIX. Seleuciani, vel Herminiani.

- LX. Proclianitæ.  
 LXI. Patriciani.  
 LXII. Ascitæ.  
 LXIII. Passalorynchitæ.  
 LXIV. Aquarii.  
 LXV. Coluthiani.  
 LXVI. Floriniani.  
 LXVII. De mundi statu dissentientes.  
 LXVIII. Nudis pedibus ambulantes.  
 LXIX. Donatistæ, sive Donatiani.  
 LXX. Priscillianistæ.  
 LXXI. Cum hominibus non manducantes.  
 LXXII. Rhetoriani.  
 LXXIII. Christi divinitatem passibilem dicentes.  
 LXXIV. Triformem Deum putantes.  
 LXXV. Aquam Deo coæternam dicentes.  
 LXXVI. Imaginem Dei non esse animam dicentes.  
 LXXVII. Innumerabiles mundos opinantes.  
 LXXVIII. Animas converti in dæmones et in quæcumque animalia existimantes.  
 LXXIX. Liberationem omnium apud inferos factam Christi descensione credentes.  
 LXXX. Christi de Patre nativitati initium temporis dantes.  
 LXXXI. Luciferiani.  
 LXXXII. Jovinianistæ.  
 LXXXIII. Arabici.  
 LXXXIV. Helvidiani.  
 LXXXV. Paterniani, sive Venustiani.  
 LXXXVI. Tertullianistæ.  
 LXXXVII. Abeloitæ.  
 LXXXVIII. Pelagiani, qui et Cœlestiani.  
 I. Simoniani a Simone mago, qui baptizatus a Philippo

diacono, sicut in Actibus Apostolorum legitur, pecunia voluit a sanctis Apostolis emere, ut etiam per impositionem manus ejus daretur Spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter utendi foeminis. Nec Deum fecisse mundum dicebat. Negabat etiam carnis resurrectionem. Et asserebat se esse Christum. Idemque Jovem se credi volebat; Minervam vero meretricem quamdam Helenen<sup>1</sup>, quam sibi sociam scelerum fecerat: imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis praebebat adorandas, quas et Romae tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat. In qua urbe apostolus Petrus eum vera virtute Dei omnipotentis extinxit.

II. Menandriani a Menandro etiam ipso mago, discipulo ejus, qui mundum asserebat non a Deo, sed ab Angelis factum.

III. Saturniniani (6) a quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse perhibetur: qui etiam mundum solos angelos septem praeter conscientiam Dei Patris fecisse dicebat.

IV. Basilidiani a Basilide, qui hoc distabat a Simonianis, quod trecentos-sexaginta-quinque coelos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est, ἑβδομακῆ, cujus nominis litterae secundum graecam supputationem eundem numerum complent. Sunt enim septem, α, et ε, et ρ, et α, et σ, et α, et ξ: id est unum, et duo, et centum, et unum, et ducenta, et unum, et sexaginta: quae fiunt in summa trecenta-sexaginta-quinque.

V. Nicolaïtæ a Nicolao nominati sunt, uno, ut perhi-

<sup>1</sup> Editi, *Selenen*. At MSS. *Helenam*, aut *Helenen*: verius. Hanc enim Simon delirabat fuisse Helenam ipsam Trojanam, ex Tertulliano, lib. de Anima, cap. xxxiv; ex Philastrio, etc. Ελένην etiam nominat Epiphanius, nec aliter Damascenus in opere de Hæresibus.

betur, ex illis septem, quos Apostoli diaconos ordinaverunt<sup>1</sup>. Iste cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut ea qui vellet uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua placet usus indifferens foeminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur, cibos suos separant: et alios ritus gentilium superstitionum non aversantur. Narrant etiam quaedam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potius faciunt, quam timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

VI. Gnostici propter excellentiam scientiæ sic se appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur: cum sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique cum ab aliis atque aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicuntur. Aliqui eos a Nicolaïtis exortos putant: aliqui a Carpocrate, de quo post loquemur. Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmentis: etiam ipsi principum vel angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt, et de Deo rerumque natura, fabulosa et a sanitate veritatis aliena multa contexunt. Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora et reditum ad Deum iisdem suis fabulis longissimis et stultissimis secundum suos errores inserunt: et illos qui eis credunt faciunt, non multa, ut putant, scientia præpollere, sed multa, ut ita dicam, fabulositate vanescere. Dicuntur quoque bonum deum et malum deum in suis habere dogmatibus.

<sup>1</sup> Act. vi, 5.

VII. Carpocratiani sunt a Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati: nec aliter evadi atque transiri principatus et potestates, quibus hæc placent, ut possit ad cælum superius perveniri. Hic etiam Jesum hominem tantummodo, et de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, qua sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cum Lege abiciebat. Negabat a Deo factum, sed a nescio quibus Virtutibus mundum. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Jesu et Pauli et Homeri et Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.

VIII. Cerinthiani a Cerintho, iidemque Merinthiani a Merintho, mundum ab Angelis factum esse dicentes, et carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi Legis præcepta servari. Jesum hominem tantummodo fuisse, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseverantes<sup>1</sup>. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros fabulantur: unde etiam Chiliastæ sunt appellati.

IX. Nazaræi, cum Dei Filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris Legis observant, quæ Christiani per apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritaliter intelligere didicerunt<sup>2</sup>.

X. Ebionæi Christum etiam ipsi tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant, circumcisionem scilicet carnis, et cætera, a quorum oneribus per Novum Testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sampsæos et Elcesæos ita copulat, ut sub eodem numero, tanquam una sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans: quamvis et in consequentibus loquatur de il-

<sup>1</sup> Vide lib. xx, de Civit. Dei, cap. 7. — <sup>2</sup> Vide lib. I contra Cresconium, cap. 31.

lis, ponens eos sub numero suo. Eusebius vero Elcesaitarum sectam commemorans<sup>1</sup>, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, et in corde servandam.

XI. Valentiniani a Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit, triginta Æonas, id est, sæcula, asserens extitisse, quorum principium esse profundum et silentium, quod profundum etiam patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex conjugio processisse perhibet intellectum et veritatem, et protulisse in honorem patris Æonas octo. De intellectu autem et veritate processisse verbum et vitam, et protulisse Æonas decem. Porro de verbo et vita processisse hominem et ecclesiam, et protulisse Æonas duodecim. Itaque octo et decem et duodecim fieri triginta Æonas, habentes, ut diximus, primum principium de profundo et silentio. Christum autem a patre missum, id est, a profundo, spiritale vel coeleste corpus secum attulisse: nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tanquam per rivum aut per fistulam sine ulla de illa assumpta carne transisse. Negat etiam resurrectionem carnis, solum per Christum spiritum et animam salutem accipere affirmans.

XII. Secundiani hoc a Valentinianis distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis.

XIII. Ptolemæus quoque discipulus Valentini, hæresim novam condere cupiens, quatuor Æonas et alios quatuor asserere maluit.

XV. Marcus etiam nescio quis hæresim condidit, negans resurrectionem carnis, et Christum non vere, sed putative passum asseverans. Duo quoque opinatus est ex adverso sibi esse principia, quidam tale de Æonibus quale Valentinus affirmans.

XV. Colorbasus secutus est istos, non multum aliter

<sup>1</sup> Euseb. lib vi, cap. 38.

sentiens, vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus consistere affirmans.

XVI. Herocleonitæ ab Heracleone discipulo superiorum, duo asserunt principia, unum ex altero, et ex his duobus alia plurima. Feruntur autem suos morientes novo modo quasi redimere, id est, per oleum, balsamum et aquam, et invocationes quas Hebraïcis verbis dicunt super capita eorum.

XVII. Ophitæ a colubro nominati sunt: coluber enim græce *ὄφις* dicitur. Hunc autem Christum arbitrantur: sed habent etiam verum colubrum assuetum eorum panes lambere, atque ita eis velut eucharistiam sanctificare. Quidam dicunt istos Ophitas ex Nicolaïtis sive Gnosticis extitisse, et per eorum fabulosa figmenta ad colubrum colendum fuisse perventum.

XVIII. Caïani propterea sic appellati, quoniam Caïn honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis. Simul et Judam traditorem divinum aliquid putant, et scelus ejus beneficium deputant; asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, et occidendum Judæis propterea tradidisse. Illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt, et Sodomistas colere perhibentur<sup>1</sup>. Blasphemant Legem, et Deum Legis auctorem carnisque resurrectionem negant.

XIX. Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui vocatus est Seth: eum quippe honorant, sed fabulosa et hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent convenisse cum superno patre, unde divinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus et potestatibus vanissima fabulantur. Quidam eos dicunt Sem filium Noë Christum putare.

<sup>1</sup> Num. xvi, 31.

XX. Archontici a principibus appellati, universitatem, quam Deus condidit, opera esse principum dicunt. Operantur etiam quamdam turpitudinem. Resurrectionem carnis negant.

XXI. Cerdoniani a Cerdone nominati, qui duo principia sibi adversantia dogmatizavit: Deumque Legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum; patrem vero Christi bonum: Christumque ipsum neque natum ex foemina, neque habuisse carnem; nec vere mortuum vel quidquam passum, sed simulasse passionem. Quidam vero in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, ut unus eorum esset bonus, alter autem malus. Resurrectionem mortuorum negat, spernens etiam Testamentum Vetus.

XXII. Marcion quoque, a quo Marcionitæ appellati sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonum, justum, pravum: sed Eusebius Sinerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem<sup>1</sup>.

XXIII. Apellitæ sunt quorum Apelles est princeps, qui duos quidem deos introducit, unum bonum, alterum malum: non tamen in duobus diversis atque inter se adversis esse principiis; sed unum esse principium, deum scilicet bonum; et ab illo factum alterum: qui cum malignus esset, inventus est in sua mundum malignitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, ut diceret eum, non quidem carnem deposuisse de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quam mundo reddidit, cum sine carne resurgens ascendit in cœlum.

XXIV. Severiani a Severo exorti, vinum non bibunt,

<sup>1</sup> Euseb. lib. v, cap. 13.

eo quod fabulosa vanitate de Satana et terra germinasse asserant vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt, inflant nominibus principum, carnis resurrectionem cum Vetere Testamento respuentes.

XXV. Tatiani a Tatiano quodam instituti, qui et Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem, sive foeminam. Non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabulosas sæculorum etiam isti sapiunt. Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tatianos et Encratitas ita discernit, ut Encratitas Tatiani schismaticos dicat.

XXVI. Cataphryges sunt quorum auctores fuerunt, Montanus tanquam paraclitus, et duæ prophetissæ ipsius, Prisca et Maximilla. His nomen provincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt: et etiam nunc in eisdem partibus populos habent. Adventum Spiritus sancti a Domino promissum, in se potius quam in Apostolis fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: et ideo dicunt eas pemisisse apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, et ex parte prophetabat: nondum enim venerat quod perfectum est<sup>1</sup>. Hoc autem perfectum in Montanum et in ejus prophetissas venisse delirant. Sacramenta perhibentur habere funesta: nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctio- num vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; si autem vixerit, pro magno sacerdote.

XXVII. Pepuziani sive Quintilliani, a loco quodam nominati sunt, quam civitatem desertam dicit Epipha-

<sup>1</sup> 1 Cor. XIII, 9.

nus. Hanc autem isti divinum aliquid esse arbitrantes, Jerusalem vocant: tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ et Priscillæ in eadem civitate Pepuza Christum specie foeminæ revelatum: unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt et ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges facere supra diximus: nam et ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse civitatem, sed villam dicunt fuisse Montani et prophetissarum ejus Priscæ et Maximillæ, et quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Jerusalem.

XXVIII. Artotyritæ sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit: offerent enim panem et caseum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.

XXIX. Tessarescædecitæ hinc appellati sunt quod non nisi quarta decima luna Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies; et si dies Dominicus occurrerit, ipso die jejunt et vigilant.

XXX. Aloci propterea sic vocantur, tanquam sine verbo, (λόγος enim græce verbum dicitur,) quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsin accipiunt, has videlicet scripturas negantes esse ipsius.

XXXI. Adamiani ex Adam dicti, cujus imitantur in paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Unde et nuptias aversantur: quia nec prius quam peccasset Adam, nec prius quam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares foeminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta, et ex hoc paradysum suam arbitrantur Ecclesiam.